



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

LXIV. Articuli pacis Germaniæ non probati ab Innocentio X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)



His addendum existimo, quod cum in articulis pacis Germaniæ, initæ inter Religionarios, & Ferdinandum III. Imperatorem anno 1648., multa dicta & attentata essent, quæ Christianæ Reipublicæ adversarentur, Innocentius X. in bulla, qua declaravit anno 1651. eos articulos irritos, nullosque; edixit etiam, palamque fecit jus primariarum Precum nonnisi ab indulto Apostolico dependere; hæc enim sunt verba bullæ: *Precumque primariarum eidem Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum*; quæ quidem declaratio torquet plurimum Acatholicos, & præsertim Fritschium de Jur. primar. Prec. cap. 2. num. 3. in fin., Vitriarium etiam loco adducto lib. 3. tit. 2. num. 9.

Hinc notandus lapsus multorum, qui ex quadam resolutione sacre Congregationis Concilii autumant declaratum à Curia Romana primarias Preces Imperatorum sub dispositione decreti Tridentinæ Synodi sess. 24. cap. 19., quod supra retulimus, haud comprehensas, unde arguunt, quod quemadmodum hæc Preces sub dicti Synodalis decreti constitutione inclusæ non fuerunt, ita neque in Concordatis. Sed prædicti nodum in scirpo quaerunt, neque vim, & verba dictæ de-

LXIV.

Articuli pacis Germaniæ non probati ab Innocentio X.

LXV.

Resolutio sacre Congregationis Concilii Tridentini non bene intellecta.